

amve altius paulò perpendemus, an ea probabilitatem, quam à fronte pollicentur, in recessu quoq; habeant, visuri. Omnes autem vel obiter saltim hic tangere, instituti nostri ratio non patitur, cum charta huic Disputationi destinata, sit angustior, quam ut capiat tot argumentorum nubem. Præ omnibus palmam hoc videtur præcipere: Si DEUS concurrat cum creaturis, aut eadem actione cum creaturis concurrat, aut diversa, sed neutrum potest asseri, ergò planè non concurrat. Non illud, siquidem DEUS & creaturæ sunt agentia maximè differentia, à quibus eandem numero actionem provenire non posse, res ipsa loqui videtur. Nec etiam hoc, quia sic DEUS vel totum effectum, vel partem ejus produceret: Si totum: quid quæso produceret creatura? Si partem, DEUS utique non ad omnia concurret. 2. Si Deus concurrat mediantibus causis secundis, utique non immediatè concurret ad varios eorum effectus, prius esse dicunt, ergò & posterius. 3. Posito DEUM cum creaturis concurrere, consequens erit, omnes omnino creaturarum effectus esse omni ex parte perfectos, nec in ullo ullam dari posse imperfectionem, consequens falsum esse, experientia testis est, ergò & antecedens falsum erit. Majoris consequentiam ex eo patere autumant, quia, si in effectum, ad quem Deus concurrat daretur defectus, is in DEUM quoque redundaret, quod tamen nemo, nisi ille, cui fungus pro cerebro est, admiserit.

§. 15. Sed salva res est, nec adductæ rationes tam sunt prægnantes, ut propriæ causæ nostræ vadimonium deseramus. Primam quod concernit, ad eam respondemus, assumendo prius, omnino eadem, qua creaturæ, actione Deum ad earum effectus concurrere. Nec quicquam prioris probatio obtinet, cum distinctio inter agentia essentialiter subordinata difficultatem omnem tollat. Concedimus equidem